



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Disputatio XIX. De virtutibus moralibus animæ Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

specu Christi Domini possit obiectum illud videri aliquo modo arduum, quia comparanda erat illa gloria per passionem, & mortem, tamē difficultas, quae in hoc medio erat, potius per fortitudinem, obedientiam, & charitatem erat superanda; respectu verò spei non reddebat obiectum arduum, quia iam erat quasi praesens, & maximè debitū, ratione vniōis, non ergo pertinuit ille actus ad virtutem spei. Nec verò ad aliquam aliam, vt per se constat, & probatum est; ad nullum ergo habitum pertinet. Neque immeritò (inquit Caiet.) quia, qui videt Deum, & illo fruatur; per ipsam fruitionem est melius dispositus ad illum actum eliciendum, quam per habitum, non ergo indiget habitu.

Sed doctrina hæc mihi non satisfacit: & primum (vt omitam) an illa ratio ardui, vel non ardui, quæ pendet ex causa intrinseca, vel statu personæ efficiat diuersitatem specificam in actibus voluntatis (hoc enim magnam quæstionem habet, sed non possumus hic omnia disputare) negari non potest, quin actus ille expectandi, vel desiderandi gloriam corporis sit in se supernaturalis, cum sit de obiecto supernaturali, & illi proportionatus; suppono enim esse actum perfectum, & maxime accomodatū obiecto, qualem oportuit esse in CHRISTO ergo necesse est illum actum effici ad aliquo habitu infuso; propria enim adæquata ratio, propter quam necessarius est habitus infusus, est actus supernaturalis, etiam si fingatur non esse aliunde difficultis neque arduus, ex hoc enim solo quod supernaturalis est, & satis difficilis, quia est improporcionatus potentiae, & ideo oportet illam per habitum eleuari, vt perfectè, & conaturali modo possit elicere talem actum. Neq; ad expediendam hanc difficultatem sufficit illa melior dispositio per visionem, & fruitionem, quam Caietan. inuenit, quia illi actus non sunt principium eliciens hunc, de quo agimus; nos autem quærimus principium eliciens & proximè eleuans potestatem, & quod sit veluti facultas intrinseca ad illum actum, sicut per visionem beatam optimè disponitur beatus ad amandum Deum; nihilominus tamen necessarius est habitus, à quo hic amor elicitur, quia licet visio bene disponat ex parte obiecti, non tamen dat potentiae propriam facultatem ad illum actum, & eadem ratione quamuis per amorem Dei bene disponatur beatus ad amorem proximi, nihilominus requiritur habitus ad talem actum, & idem ferè est de omnibus alijs actibus virtutum, ad quos potest beatus dici aliquo modo bene disponi per visionem, & fruitionem. Propter hæc ergo rationem videtur mihi dicendum, necessarium esse habitum infusum, ad quem propriè talis actus pertineat.

Vt verò breuiter explicemus, quis ille sit, aduertendum est, ex 2.2 circa Deum, vt est bonum nostrum nobis amabile amore concupiscentiae, quo amamus nostram supernaturalem beatitudinem, plures actus versari posse, scilicet amoris, desiderij, spei, & delectationis, seu gaudij, ex quibus actibus amor fertur in obiectum secundum se, & ex illo sequitur desiderium, si obiectum sit absens, & spes, si etiam sit arduum; si verò sit praesens, & possessum, sequitur gaudium, & isti actus omnes sunt supernaturales, respectu supernaturalis beatitudinis, & Theologici, cum Deum ipsum attingant, & ex illis licet spes & desiderium non maneant in beatitudine; amor tamen & gaudium manent, quia isti non requirunt imperfectionem, seu carentiam boni; vnde sit manere etiam in patria aliquem habitum, à quo isti actus eliciantur, vt satis probat discursus supra factus ab illo, ergo ab habitu à quo eliciuntur hi actus, manet etiā actus ille expectandi, vel desiderandi gloriam corporis, de qua agimus, sunt enim isti actus inter se conexi: sicut enim anima appetit corpus, ita habitus ille, quo amamus, & gaudemus de beatitudine animæ, tanquā

Fr. Suarez, Tom. 1.

de bono nostro, desideramus beatitudinem corporis.

Quod si tandem quæras, quis sit ille habitus à quo tam ille amor, & gaudium, quam hæc expectatio eliciuntur; respondent aliqui esse charitatem. Sed non verè, potest enim charitas sub propria ratione beneuolentiae Dei in se ipso amare illa bona, potest etiam imperare, vel referre omnem alium amorē ad Deū; tamen elicere proprium amorem concupiscentiae, & alios actus, qui cum illo connexi sunt, non potest, differunt enim isti amores essentialiter, habet enim motiua, honestates, & difficultates diuersarum rationum. Propter quod dixit etiam hic D. Thomas ad 3. (quod valde notandum est) sperare alijs bona, scilicet propter illorum beneuolentiam non pertinere ad virtutem spei, sed ad aliam, quæ non potest esse nisi charitas. Vt ergo, quod sentio, tandem dicā, existimo, omnes hos actus re ipsa ad eundem habitum pertinere, qui prout est in via dicitur spes, denominatione sumpta ab actu difficiliore, & maximè arduo, & necessario viatori; idem verò habitus, est habitualis amor concupiscentiae propriae beatitudinis: licet ergo ille habitus, vt connotat imperfectionem spei, non maneat in beatis, tamen prout potest esse principium amandi, & consequenter etiam fruendi propria beatitudine supernaturali, manere potest. Et hoc modo intelligendum est, virtutem spei non manere in beatis, seu non fuisse in Christo, scilicet, quoad imperfectionem quam connotat, sicut art. 2. dictum est de continentia, & statim de alijs dicitur. Et hoc etiam modo intelligi potest, quoad D. Tho. infra art. 9. ad 1. dicit, licet in Christo non fuerit spes quoad defectum, fuisse tamen quidquid est perfectionis in spe. Idem in 3. dist. 13. q. 1. ar. 2. quæstionem. 1. ad 1. & ibi Bona. ar. 1. q. 3. ad 1. Clarius Alexander 3. p. q. 1. mem. 3. ad 1. dicit in Christo non fuisse spem in ratione spei, quod infra exponens ait, fuisse in illo, quod est perfectionis in spe, scilicet, adhesionem cum bono, sed non cum illa imperfectione, quæ est expectatio boni, quod non habetur: & hoc etiam tantum probat ratio, qualis hic concludit D. Thomas spem non fuisse in Christo, quia spes respicit Deum, vt obiectum nondum habitum, hoc enim est verum de primario actu spei, & de habitu prout illū respicit; at verò vt elicit actum amoris, respicit Deū vt summum bonum proprium abstrahendo ab absentia, vt sic potest manere in patria, gaudij etiam efficiendo, qui actus etiam sunt principales, & primarij respectu illius habitus secundum se.

DISPUTATIO XIX.

In duas sectiones distributa.

De virtutibus moralibus animæ Christi.



E Theologicis virtutibus nihil superest dicendum: etenim de charitate, quia cum gratia omnino coniuncta est, tractatum est cum de gratia disputaremus. De fide autem & spe, præter ea, quæ dicta sunt inter exponendos articulos D. Tho. nihil dicendum superest, quod ad hunc locum pertineat. Reliquum ergo est, vt de virtutibus moralibus dicamus, quæ duplices sunt; vt ex 1.2 suppono, aliae per se infusæ, aliae verò suo genere acquiritæ, quæ per accidens interdum infundi possunt. De vtroque ergo virtutum genere breuiter disserendum est.

Duplex generum virtutum moralium.

SECTIO I.

Utrum omnes virtutes morales, & supernaturales fuerint infusæ animæ Christi, simul cum gratia.

R Espondeo, omnes huiusmodi virtutes fuisse animæ Christi infusæ à principio suæ creationis, &

11

con-

conceptionis, sine imperfectionibus tamen, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis repugnant. Prior pars non est magis certa, quam certum sit infundis iustis huiusmodi virtutes, quod tamen non est certum, sed sub opinione, tamen supposita illa sententia, quæ sine dubio verior est, nullus, qui bene de Christo sentiat, dubitare potest in conclusione posita, erroneum enim esset dicere posse alios iustos habere actus virtutum moralium perfectiores quam potuerint esse in anima Christi, si ergo in aliis possunt esse isti actus supernaturales, & propter eos infunduntur habitus virtutum moralium supernaturales; multo magis asserendum est, hos habitus fuisse infusos animæ Christi. Et hinc etiam constat fuisse infusos à principio; quia huiusmodi virtutes simul cum gratia infunduntur, & ideo Greg. 2. moral. cap. vltim. inter dona, quæ omnibus iustis ab Spiritu sancto dantur, tam ponit virtutes morales, quam Theologales. Secunda pars conclusionis in genere sumpta evidens est, quia cum Christus à principio fuerit beatus, & incapax fuerit peccati, certum est non potuisse habere virtutes, quæ requirunt, vel supponunt in subiecto hanc imperfectionem, sicut supra diximus de continentia, illa enim dicit virtutem connotando imperfectionem repugnantem beato, & simile est de poenitentia, quæ simpliciter dicta supponit peccatum, vel saltem capacitatem peccati, & ideo fere omnes Theologi in 4. distinct. 14. negant habuisse Christum hanc virtutem, ut videre est in D. Tho. distinct. 14. q. 1. art. 3. q. 2. Palud. quæst. 4. Soto, q. 2. ad finem. Alenf. 3. p. quæst. 12. memb. 2. & aliis.

Debitum.

Dubitari vero de hac virtute potest, an habitus ille, qui in nobis est poenitentia, nullo modo fuerit in Christo; an vero habitus ipse sub alia ratione esse poterit, quamvis non fuerit sub ea imperfectione, quæ nomen poenitentia denotat. Respondetur hoc pendere ex variis opinionibus circa hanc virtutem, quas hoc loco tractare ex professo non possumus. Quidam enim existimant poenitentiam esse singularem habitum virtutis ab omnibus aliis distinctum cuius vnicus, & ad æquatus actus est satisfacere Deo pro iniuria in ipsum commissa ab ipso poenitente. Et iuxta hanc sententiam omnino negandum est, habuisse Christum talem habitum, quia habere non potuit aliquem actum ad talem habitum pertinentem. Aliorum vero sententia, & fortasse probabilior est, habitum illum, qui in nobis est poenitentia, licet ita denominetur ex habitudine ad illum actum deestandi proprium peccatum, tamen secundum se non limitari ad illum actum solum, sed posse habere alios, qui non supponunt in operante aliquod peccatum, imo nec potentiam peccandi: ut est simplex odium peccati propter vitandam diuinam iniuriam, & propositum vitandi diuinam iniuriam, non in satisfactionem præteritæ, sed per se propter repugnantiam eius, seu propter honestatem, quæ est in contrario obiecto. Item voluntas, seu bonus affectus ad recompensationem diuinæ offensæ, à quo eundem illata sit. Addunt etiam alij, hunc habitum poenitentia, re ipsa non esse virtutem distinctam ab omnibus aliis virtutibus moralibus: sed vel esse charitatem, vel iustitiam, vel certe religionem, quod ego cum Caietano valde probabile existimo.

Et hac sententia nunc supposita, ut probabiliori, consequenter dicendum est, sicut in Christo fuit iustitia, seu religio eiusdem rationis cum virtute religionis quæ infunditur aliis hominibus iustis, ita in illo fuisse eundem habitum virtutis, qui in nobis est poenitentia, quamvis in illo non habuerit rationem poenitentia, quia in illo non fuit illa imperfectio, quam poenitentia denotat: & ita tenet expresse Marfil. in 4. q. 20. ad 6. argumentum, & idem sumitur ex Alex. Alenf. 3. p. q. 12. memb. 3. ad 1. ubi eodem modo loquitur de poenitentia, & spe, & ita dicit fuisse in

*Marfil.
Alenf.*

A Christo, quidquid perfectionis est in poenitentia, scilicet deestationem mali, non vero quod est imperfectionis, scilicet, ut illa deestatio sit mali commissi & eodem fere modo loquitur D. Tho. in 3. d. 13. q. 1. art. 2. ad 1.

Neque video obiectionem, neque incommodum alicuius momenti, quod possit contra hoc obijci: & præter exempla supra posita, potest hoc ipsum aliis modis explicari. Simpliciter n. loquendo, in Christo non fuit potentia peccandi, cum tamen in illo fuerit eadem voluntas, seu liberum arbitrium, quod in aliis hominibus, & in illa humanitate, si in propria persona existeret, esset potentia peccandi, quia potentia peccandi præter voluntatem ipsam quoad substantiam ipsius potentia (ut ita dicam) denotat imperfectionem personæ creatæ. Quid ergo mirum quod similiter eadem virtus, quæ in aliis hominibus est poenitentia, quia est facultas deestandi proprium peccatum in Christo non sit poenitentia, quoad imperfectionem hoc nomine importatam, quævis sit idem habitus? Et certe, si humanitas Christi prius existeret in propria persona, & in illa haberet omnes virtutes, & inter eas habitum poenitentia, & assumeretur, non videtur verisimile, ex vi solius assumptionis corruptendum esse talem habitum, quoad substantiam eius, licet non maneret quoad imperfectionem poenitentia, sicut nec mutaretur voluntas, quoad substantiam eius, & tamen non maneret, quoad imperfectionem potentia peccandi. Denique possumus à contrario argumentari, nam eadem virtus iustitia, aut religionis existens in Christo, habet rationem perfectæ iustitia ad Deum, quam denominationem non potest suscipere in persona creatæ: non quia, quoad substantiam habitus sit aliqua virtus moralis in Christo, quæ non possit esse in puro homine, sed quia connotat circumstantiam talis personæ, quæ possit efficere actum perfectæ iustitia erga Deum, ut supra disput. 4. sect. 5. dictum est: ergo simili modo dici potest in presenti, seruata proportionem. Simile argumentum sumi potest de virtute continentia sub hac denominatione, de qua artic. 2. dictum est.

Dicit aliquis, ergo pari ratione negandum esset, Christum habuisse virtutem magnificentia, vel similes, quarum materiam non assumpsit, ut posset earum actus exercere. Respondetur non esse simile. Primo, quia hæc virtus de se nullam imperfectionem connotat, aut includit, quia licet concedamus, Christum non assumpsisse vsum diuitiarum temporalium, potuisset tamen imperfectionem. Deinde, quia exercere potuit proprios actus talis virtutis, vel interioris, habendo debitum affectum circa medium talis virtutis, vel contemnendo magnas diuitias, & honores: vel certe interdum vtendo externa materia talis virtutis, ut cum paup. quinq. millia hominum. Nam quod hæc, & similia fecerit sine vtu diuitiarum, sed potestate diuinitus accepta, non refert, neque impedit, quin potuerit talis actus esse ab hac virtute. Adde, in ordine ad spiritualia bona perfectissime exerceuisse Christum actus harum virtutum. Magnanimitatis, ordinatissime appetendo & intendendo celestia, & spiritualia bona, ut claritatem à patre. Ioan. 17. Potestatem in celo & in terra. Item liberalitatem, gratiam elargiendo, remissionem peccatorum, imo & sanitatem, vitam, & c. In quibus bonis, & modo illa communicandi, Christus ut homo perfectissime participauit diuinam magnificentiam, & similes virtutes.

SECTIO II.

Utrum virtutes suo genere adquisite, fuerint Christi anime infuse simul cum gratia.

Antiqui Theologi nihil fere de quaestione hac in specie dicunt, sed de virtutibus Christi disputant.

tant, vel in genere, vel de infusis tantum. Ratio verò dubitandi esse potest, quia virtutes acquisite adeo sunt imperfecte, ut in beatis non maneat, ut docet D. Thom. in 3. distinct. 33. quæst. 1. art. 4. ubi simul docet, has virtutes non esse in beatis, & omnes virtutes morales esse in Christo, unde videtur hoc secundum tantum intelligere de infusis. Et idem videtur sentire Capreol. ibi concl. 4. nam licet de virtutibus simpliciter loquatur, rationes tamen afferunt solum de infusis. Ricar. etiam ibidem art. 1. quæst. 6. cum absolute quæsiisset, an virtutes morales maneat in beatis. Respondet infusas manere, & acquisite verò nihil dicit. Et de Christo potest esse singularis ratio. Primo, quia ex vi unionis, non solum peccare non poterat, verum etiam neque inordinatum pati animi motum, habebat enim moderatissimos omnes animi affectus, ad quos bene disponendos potissimum requiruntur hæc virtutes. Secundo, quia verisimile est, Christum nunquam fuisse operatum ex motu merè naturali: operabatur enim semper perfectissimè, atque adeo ex motu, & sine supernaturali, ergo nunquam operatus est actus virtutum acquiratarum, ergo neque habitibus indiguit. Tercio, quia Verbum ipsum per se conferre poterat, quicquid perfectionis conferunt isti habitus.

Dico primò, Christum Dominum habere potuisse has virtutes morales, suo genere acquisite. Hæc conclusio videtur clara, & certa, quia istæ virtutes nec repugnant unioni, nec beatitudini. Primum per se manifestum est, sunt enim perfectiones quædam humanitatis, quæ diuino supposito non repugnant, potuisset enim Verbum assumere humanam naturam, etiam cum his solis virtutibus: scientiæ etiam acquisite non repugnant unioni, cur ergo repugnarent virtutes, quæ simpliciter meliores sunt? Secundum colligitur ex D. Thom. 2. quæst. 67. art. 1. ubi (ut ego existimo) retractavit sententiam, quam in 3. docuerat, simpliciter enim ibi definiit, virtutes morales manere in beatis, nihil distinguendo inter acquisite, & infusas: cum tamen ibi generatim de vtriusque loquatur, & hanc methodum in illis questionibus obseruet, ut doctrinam communem vtriusque virtutibus simpliciter, & sine distinctione tradat, ubi verò est diuersa ratio de moralibus, & infusis, ibi distinguat, ut videri potest ibidem q. 65. art. 1. & 2. cum ergo hic nihil distinguat, intendit sine dubio idem de vtriusque docere. Unde cum in argumento primo obieceret auctoritatem Arist. qui tantum virtutes acquisite cognoscere potuit, illi ita respondet, ut defendat, illas easdem virtutes morales, de quibus Arist. locutus est, manere in beatis. Eodem modo citari potest Gabriel pro hac sententia in distinct. 33. art. 3. nam, cum dub. 2. duo genera virtutum moralium posuisset, scilicet infusarum & acquiratarum, in dub. 3. absolute & sine distinctione affirmat, virtutes morales manere in beatis. Bonauent. etiā ibi absolute loquitur, q. 6. & dicit manere, licet quæst. 5. distinxerit in particulari verò & expresse tenet ibi Maior quæst. 32. qui citat Magist. ibi, & Bedam Exo. 26 qui indefinitè id affirmant. Scotus verò eadem dist. 33. q. vnicā supponit potius quam doceat, virtutes morales manere in beatis, quas tamen ipse nunquam cognouit per se infusas, sed acquisite tantum, ut constat ex distinct. 34. & 36. Alexander Alenf. 4. p. quæst. 12. membr. 1. art. 1. §. 1. ad argumenta: ubi tam de beatis omnibus, quam de Christo loquitur, & affect. Aug. 14. de Trinit. cap. 9. ubi docet manere virtutes morales in via beata. Et loquitur August. aperte de virtutibus suo genere acquisitis, nam scribit contra Tullium, qui negabat, has virtutes manere in beatitudine. Idem docet August. lib. 6. de Musica cap. 1. Ratio verò est, quia istæ virtutes perfectionem dicunt ipsius naturæ, & nullam includunt imperfectionem cum beatitudine pugnantem. Sicut enim in naturali ratione clara, & euidentis, quamuis

Fr. Suarez, Tom. 1.

fit perfectio inferioris ordinis, simul esse potest cum beatitudine, quia non habet conditionem illi repugnantem, & gratia per se non destruit perfectiones naturæ, sed superaddit alias: ita operari secundum rectam rationem naturalem & habere affectum illi conformem, de se perfectio quædam est naturalis, quam beatitudo non excludit.

Dico secundo, Christum Dominum habuisse has virtutes perfectissimas in suo genere, sine vlla imperfectione repugnante beatitudini, sicut dictum est de infusis. Hæc conclusio videtur mihi certa, & communis Theologorum, quorum sine dubio hic est sensus, quamuis non omnes hoc distinguant. Ratio verò est, quia hæc virtutes sunt magna perfectio humanæ naturæ: imò Diuus Thomas, quæst. vnicā de virtutibus, art. 9. ad 7. dicit, esse maximum bonum in genere humanorum bonorum, idè 1. p. quæst. 95. art. 3. docet, has virtutes datas esse Adæ, etiam si datæ illi simul fuerint alix per se infusæ valde perfectæ: sed Christus assumpsit in humana natura, quicquid perfectionis in illa plantauit, ut Concilia loquuntur: habuit enim animæ potentias optime dispositas in ordine ad omne bonum, & finem, seu beatitudinem, tam naturalem, quam supernaturalem, hoc enim totum debetur illi naturæ ratione unionis. Unde confirmatur primo, satisfaciendo simul obiectionibus, quia licet perfecta moderatio affectuum sit debita illi naturæ ratione unionis, tamen oportuit, ut hic effectus fieret per propriam, & accommodatam causam: hæc autem est virtus acquirita, ad quam pertinet conferre maiorem perfectionem ad obediendum rectæ rationi naturali, & consequenter moderari affectum huic rationi repugnantem, qui effectus iste est ita proprius huius virtutis, ut in virtutem per se infusam non conueniat: sicut D. Thom. docuit, 1. 2. q. 65. art. 3. ad 2. hæc enim virtus ele. ar. potentiam ad alium ordinem, per se tamen non disponit illam intra ordinem naturæ. Confirmatur secundo, quia non est cur negemus Christum sepe fuisse operatum actus naturales harum virtutum, sunt enim simpliciter boni, & non excludunt actus virtutum infusarum, præsertim in Christi anima, quæ illos exercere poterat independentè a corpore: poterant etiam referri ad supernaturalem finem, atque adeo esse meritorij, & satisfactorij, non est ergo, cur eos non habuerit, & consequenter etiam habitus. Quæ omnia aperte confirmantur illo exemplo scientiæ acquisite, cuius actus & habitus fuisse in Christo, nullus cordatus Theologus dubitat. Denique, quamuis Verbum, ut prima causa efficiens, potuisset miraculose supplere quicquid est efficacitatis in his habitibus, ex illo principio, quod Deus potest supplere genus causæ efficientis: Verbum tamen præcisè consideratum, ut hypothesis humanæ naturæ, non poterat per solam unionem supplere hanc efficientiam, ut supra in similibus probatum est. Perfectio autem formalis, quam conferunt isti habitus, bene disponendo, & inclinando potentias ad bonum, non poterat sine illis à Deo conferri: & consequenter passionibus, & affectibus Christi, quamuis sine his habitibus possent impediri, ne exirent in aliquem actum secundum, vel motum inordinatum: non tamen poterant sine illis intrinsecè quasi frænari, & temperari in actu primo, quia hic est effectus formalis, qui sine propria forma fieri non potest. Non ergo potuit Verbum per se ipsum conferre omnem perfectionem, quam conferunt isti habitus: & ideo nullo modo negandum est illos fuisse in Christo, magis quam supernaturales, & infusos, de quibus quoad hoc eadem est ratio.

Dico tercio, istæ virtutes infusæ fuerunt animæ Christi Domini ab instanti suæ creationis in summo quodam gradu perfectionis. Hæc sequitur ex præcedenti, quia hæc perfectio debita erat illi naturæ ratione unionis, & quod aliquo tempore illa caret, neque

11 2 neque

neq; ad finem redemptionis, neq; ad aliquem alium A
erat necessarium: Christus autem à principio habu-
it omnem perfectionem vnioni debitam, cuius ca-
rentia redemptioni necessaria non erat, vt partim
ex præcedentibus constare potest, partim dicitur
sepius in sequentibus quaestionibus. Confirmatur
primò, quia Adæ fuerunt infusæ hæc virtutes à prin-
cipio creationis, multo ergo magis Christo. Confir-
matur secundo, quia Christus habuit à principio o-
mnes affectus optime dispositos & moderatos, & re-
ctæ rationi subiectos, & optimo modo, scilicet per
internam affectionem & dispositionem.

Obiectio. Dices primo. Maior perfectio esset has virtutes
proprijs actib. acquirere, quia perfectius est aliquid

Responsio. Respondetur, melius simpliciter fuisse
nunquam carere virtute, quia in hoc genere boni
honesti, melius est semper esse in vltimo termino
perfectionis, quam paulatim illam acquirere. Dices.

Obiectio. Potuisset illas omnes virtutes habere in primo in-
stanti, & tamen per proprios actus illas comparare:
potuit enim in primo instanti habere perfectissimos

Responsio. Respondetur (quidquid aliqui dicant) hoc nec
necessarium, nec verisimile videri: oportuisset enim
vt anima Christi in eo instanti, simul habuisset co-
gitatione præsentis materias omnium virtutum, &
per naturalem prudentiam iudicaret de omnibus a-
gendis in omnibus illis materijs, atq; ita haberet ac-
tus perfectissimos circa illas. hoc verò totum, quã-
uis non implicet contradictionem, non est tamen
tantum miraculum sine fundamento asserendum:
præsertim, quia quomodocumq; Christus habuerit
hos habitus, verisimè dicitur habuisse à se, & ab in-
trinsèco, & connaturaliter; & perfectus ille fuit,
quidquid operatus est in primo instanti, ex habitu
operatum esse, quam ad adquirendum habitum,
non ergo indiguit exercitio virtutum ad has virtù-
tes obtinendas.

Obiectio. Sed vrgebis tandem, quia sequitur, Christum Do-
minum per actus harum virtutum, quos exercebat,

Responsio
Quorundam. nihil sibi adquisuisse. Dicunt aliqui, adquisuisse au-
gmentum harum virtutum. Sed hoc nec verè, nec
satis considerate dictum est, nam rationes, quæ pro-
bant habuisse Christum hos habitus à principio, pro-
bant similiter habuisse illos in gradu heroico, vt hic

D. Thom. dixit D. Tho. vel, vt clarius dicamus habuisse in sum-
ma perfectione, quam habere possunt, vel secundum
legem Dei ordinariam, vel secundum naturalem
capacitatem & facultatem hominis, cui hi habitus,
& eorum actus accommodantur: vel deniq; in sum-
ma perfectione, quam in ipso Christo vnquam ha-
bituri erant. Ratio est, quia hoc totum debitum erat
vnioni, vt ostensum est. Et confirmatur, nam modo
in beatitudine non augentur hi habitus in Christo
per actus, sed à principio conceptionis fuit tam per-
fecte beatus, & constitutus in vltimo termino in ijs,
quæ pertinent ad virtutem, & perfectionem animi,
sicut nunc est. Confirmatur secundo, quia Christus
non reddebatur promptior, vel facilior ad operan-
dum studiose per exercitium actuum: vt eleganter
dixerunt Basil & Dionys. præcedenti disput. sect. 3. ci-
tati quia omnis hæc perfectio est naturalis Christo.

Basil.
Dionys. Vnde neq; ad vnā virtutem fuit vnquam prom-
ptior, quam ad aliam, sed in summa proportionē o-
mnes semper habuit. Concedo ergo per hos actus,

Responsio
Anterioris. neq; habitus, neq; augmentum eorundem Christum
acquisuisse: quia actus non intendit habitum, nisi
sit intensior illo, Christus autem à principio habuit
habitus, vel magis vel æque intensos, quam futuri
essent actus. Non vero negandum est, potuisse pasi-
bile corpus Christi Domini, per externos actus ha-
bilis reddi ad externos labores perferendos, vt pe-
regrinationes, vigilijs, &c. hoc enim sæpe pendet ex
qualitatibus, seu dispositionibus materialibus, quæ
non spectant ad perfectionem virtutis.



D quantum sic proceditur. Videtur, quod
in Christo non fuerint dona. Sicut enim
communiter dicitur, dona dantur in ad-
utorum virtutum: Sed id quod est in se
perfectum, non indiget exteriori auxilio.

Cum igitur in Christo fuerint virtutes perfectæ, videtur, quod
in eo non fuerint dona.

2. Præterea, Non videtur esse eiusdem dare dona, & re-
cipere: quia dare est habentis, accipere autem non habentis:
Sed Christo conuenit dare dona, secundum illud Psal. 57.
Dedit dona hominibus. Ergo Christo non conuenit accipere
dona Spiritus sancti.

3. Præterea, Quatuor dona videntur pertinere ad con-
templationem, scilicet sapientia, scientia, intellectus &
consilium, quod pertinet ad prudentiam: vnde & Philoso-
phus in 6. Ethic. numerat ista inter virtutes intellectuales:
Sed Christus habuit contemplationem patriæ. Ergo non ha-
buit huiusmodi dona.

Sed contra est, quod dicitur Isaia 4. apprehendent septem
mulieres virum vnum. Glof. id est, septem dona Spiritus san-
cti Christum.

Respondetur dicendum, quod sicut in Secunda parte dictum
est, dona propriè sunt perfectiones quædam potentiarum
anima secundum quod sunt nata moveri à Spiritu sancto
Manifestum est autem, quod anima Christi perfectissimè à
Spiritu sancto mouebatur: secundum illud. Luca 4. Iesus
autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & ageba-
tur à spiritu in desertum. Vnde manifestum est, quod in Chri-
sto fuerint excellentissimè dona.

Ad primum ergo dicendum, quod illud, quod est perfe-
ctum secundum ordinem sue naturæ, indiget adiuvari ab
eo, quod est altioris naturæ: sicut homo quantumcunque per-
fectus indiget adiuvari à Deo. Et hoc modo virtutes, quæ
perfectum potentias anime, secundum quod dicuntur rati-
one, quantumcunque sint perfectæ, indigent adiuvari per dona,
quæ perfectunt potentias anime, secundum quod sunt mota à
Spiritu sancto.

Ad secundum dicendum, quod Christus non secundum
idem est respiciens, & datus dona Spiritus sancti: sed dat,
secundum quod Deus; & accipit, secundum quod homo.
Vnde Greg. dicit in 2. Moral. quod Spiritus sanctus hu-
manitatem Christi nunquam deseruit, ex cuius diuinitate
procedit.

Ad tertium dicendum, quod in Christo non solum fuit
cognitio patriæ, sed etiam cognitio viæ, vt infra dicitur.
Et tamen etiam in patria sunt per aliquem modum dona
Spiritus sancti, vt in secunda parte dictum est.

In hoc articulo nihil occurrit notandum, præter
ea, quæ dicemus disputatione sequenti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit donum timoris.

A D sextum sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non fuerit donum timoris. Spes enim
videtur potior quam timor: nam spei obiectum
est bonum, timoris vero malum: vt in secunda parte habitum
est. Sed in Christo non fuit virtus spei, vt supra habitum est.
Ergo etiam in eo non fuit donum timoris.

2. Præterea, Donum timoris timet aliquis, vel separatio-
nem à Deo, quod pertinet ad timorem castum: vel puniri
ab ipso, quod pertinet ad timorem seruilem: vt Aug. dicit
super Cano. Ioan. Sed Christus non timuit separari à Deo
per peccatum, neque etiam puniri ab eo propter culpam, quia
impossibile erat ei peccare, vt infra dicitur. Timor autem
non est de impossibili. Ergo in Christo fuit donum timoris.

3. Præ-